

nologica, & genealogica: *Grammatica* denique materia continet omnia vocabula Biblica, phrasisque hebræas & græcas, idiotismos, observationes orthographicas, etymologicas, syntheticas & accentuatorias.

§. VII. *Analogia* est nexus atque proportio & respectus materiæ Biblicæ inter se, latens in illa & inventa deprehensaque diligenti collatione, non vero aliunde allata, & solo ingenii lusu ad illam applicata. Dividitur in Analogiam dogmaticam s. fidei, moralem, physicam, historicam & grammaticam.

§. VIII. *Analogia dogmatica* est vel *prima* s. latius & catechetice dicta; vel *secunda* s. strictius & acroamaticè dicta: utraque ex materia dogmatica petitur, non vero esse debet hypothesis ab hominibus excogitata.

§. IX. Simili modo *Analogia moralis, physica, historica & grammatica* ex materia morali, physica, historica & grammatica confici debet.

§. X. Hæc si omnia eum in modum sufficienter essent elaborata, daretur in Exegeticis demonstratio a priori, eaque irrefragabilis. Interea contenti esse possumus demonstratione a posteriori, sive indirecta, ad quam nos ducunt media Exegetica, hætenus satis bene adhibita, nempe fontes, contextus & loca parallela, quæ hoc sensu etiam sunt Principia Exegetica, sicut & ipsa adjumenta exegetica Cap. I. enumerata, quatenus a Scriptura sacra approbantur, principia esse aliquo modo possunt.

TRA-